



ANN. XVII - FASC. V

MENSE MAIO MCMXXX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarum quae supersunt pretium constituimus libellorum 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, recto tramite requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Maio MCMXXX

Fasc. V

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

EUGENIO PACELLI

INTER S. R. E. PATRES PURPURATOS COOPTATO
A SECRETIS PONTIFICIS ELECTO
IN DIEM NOMINALEM
AN. MCMXXX

Reddidit ut tandem moerens Germania Romae,
Te excipiunt cives, o Bene Nate, tui

Plaudentes; remeas Petri quia iure senator
Patrumque indutus clamyde purpurea.

Martis nam adstrinxit ceu quondam compede Caesar
Gallos, tu adducis sub ditione pia

Germanos, veteris necdum placabilis irae
Oblitos, Romae religione nova.

Immo et nexa vides, quae, saecli parta labore,
Italianam reddunt foedera sacra Deo.

Foedera, quae rursus Christi victoris ad auras
Congaudes nostro concelebrare choro;

Quo Petri ad limen reginam dicere Romam
Sanguine, quam Praeco tinxit uterque, iuvat;

Quo iuxta aram Nerî et regi psallere Christo
Sic oriente decet, sic moriente die.

*Carmina, quae sancti ceu nos docuere parentes,
Nos praestat soboli tradere Romulidum.
Nam pariter laudant geminato flamine regem,
Qui ad sese gentes pertrahit et populos
Undique; quem metuant oppletae crimine silvae,
Dum sacra advertunt numen adesse via,
Cornipedes albi pulsant qua saecula cursu;
Quique instat fraenis emicat ecce Deus!*

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA

Num inutilis erit de elegantia libellus, in quo ordine et artificiose digerantur, quae de arte eleganter dicendi passim apud grammaticos leguntur? Imo, credimus, maximus ex eo fructus capietur.

Nam clavis conferri posset, qua latinitatis fores aperirentur vocabulorumque et sententiarum arcana panderentur; mirae quidem d'ivitiae iis qui expoliti sermonis sunt studiosi. Abditum illud et reconditum quod sic cognitionem haberet faciliorem et quasi nullo labore menti proferretur, affirmat Plinius semper esse thesaurum.

Ut alia utar metaphora, huiusmodi libellus instrumentum esse poterit magni pretii ad excutienda opera, ad subtiliter dispicienda scripta eorum qui luculenter latine neverunt, unde quod imitemur capiamus.

Aliud est enim latine, aliud grammaticae loqui, ut ait Quintilianus. Qui strictioris syntaxeos praecepta praeceptorumque rationes cognitione et exercitio est assequutus, grammaticae; qui praeterea elegantiae leges tenet ac considerate servat, latine loquitur.

Quid autem sonat illa vox «elegantia»? Elegantia (ex *legere*) ea est elocutionis dos et qualitas, qua in iis quae dicimus aut scribimus optimum quodque eligimus. Est igitur dicendi ratio a vulgari usu et quotidiano aliena et linguae indoli velut ad amussim accommodata.

Latinae vero linguae hoc proprium dixerim: nihil esse rationi magis consenteaneum. Si enim rem diligenter consideraveris, intelliges et perspectum habebis ipsi sententiae dicendi formam perfecte respondere miraberisque quomodo dictio nem cum cogitatione commetiatur is qui scienter ac perite latina lingua utitur.

Quod quibusdam exemplis planum facere et perspicuum reddere operae pretium est.

Quorsum Latini adiectivum in substantivum abstractum non tam raro convertunt, etsi vocabulis concretis libentius uti soleant? v. g. Hunc tu vitae *splendorem* maculis aspergisti? (Cic., *Pro Planc.*, 12). Nec sine *varietate* doctrinae satis politus et sapiens esse orator potest (Cic., *De Orat.*, 3, 21, 80).

Quorsum ipsa substantiva concreta in participia aut in propositiones relatives interdum mutant? v. g. Legentium plerisque (Liv., *Praef.*, 4). Adest fere nemo

quin acutius atque acrius vitia in dicente quam recta videat (Cic.). Adduxit eos qui erant iudicaturi (Cic., *De Suppl.*, 1, 3).

Quorsum relativum copulativum usur pant, quod pronominis demonstrativi locum tenet?

Quorsum sententias minus praecipuas propositionibus subjectis vel participiis sive absolutis sive coniunctis exprimunt, quemadmodum et in exemplis quae sequuntur:

— Urbem captam et expilatam hostis diripuit.

— Cyrus, subacta Asia, Scythis bellum infert.

— Socrates, quem facile posset educi e custodia, noluit (Cic.).

Quorsum aliquando plurali numero effe runt vel substantiva abstracta, quem singularem numerum usurpamus? v. gr. Exalbesco in principiis dicendi (Cic.).

Quorsum coniunctionibus tantopere delectantur?

Quorsum, post verba «audio, video» non indiscriminatim participium et infinitum cum accusativo usurpant, ut toties apud Tullium videre est, qui scripsit:

— Adolescentium greges vidimus certantes (*Tusc.*, 5, 27, 77).

— Saepe hunc vidi... versus dicere (*Pro Arch.*).

Quorsum idem Tullius dixit: «Verbum invidiae ductum est a nimis intuendo fortunam alterius (*Tusc.*, 3, 9, 20); non autem, iuxta regulam generalem: «A nimis intuenda fortuna»?

Quorsum haec et innumera alia, nisi ut elocutio scribentis animo magis aptetur? «Speculum mentis, inquit divus Ambrosius, in verbis refulget».

Ad hoc, ut lingua latina animi vera imago sit, plurimum confert quod est lingua synthetica, in qua singula quaeque verba suum locum tenent, humiliorem si sint levioris momenti, magis praecipuum si sensu polleant. Etenim, servato ordine

synthetico quem vocant, casus seu regmina, sive vocabula sint, sive integrae sententiae, vocabulis sententiisque quibus reguntur aut anteeunt aut, quod etiam ordini synthetico magis convenit, includuntur.

Quo fit ut lingua latina, suapte ingenio, et primam sedem nominativo, ultimam verbo libenter tribuat, et elocutione periodica quam plurimum utatur?

Quid plura?

Ex his appareat quanti intersit latine dicendi assequi facultatem. Latina lingua cogitandi est effectrix; nec a veritate discrepat illud Quintilianus: «Ille se profecisse sciat, eni Cicero valde placebit».

Hoc e nostris de elegantia lectionibus, carissime lector, intelliges, in quibus latinae linguae intimam naturam perscrutari pro virili parte enitemur.

S. Leonardi in *Helvetia*.

J. F.

EMMANUEL BONILLA

Inter acerrimos Catholicae Fidei, in superiore Mexicanae civitatis procella extitioque, propugnatores, iuvenis in primis nobilis ac singulari virtute et religione praeditus, numerandus est.

Ad integrum vitae huius strenui adolescentis rationem degustandam, opportunum duxi, quandam de eius patria, parentibus, indole, atque eruditione notitiam levissime praemittere.

Natus est Emmanuel Bonilla xv kalendas Iulias an. MCMIV, honestis parentibus, «Tlalpam», in suburbano pago civitatis Mexici; quae sedet nobilis et antiquissima urbs huius mexicanæ Provinciae princeps supra limpidos fontes «Texocensis» lacus, et undique cincta, nativi muri ad instar, praeruptis montibus, iisdem fronde ditissimis amoenissimisque.

Hic adolevit puer, hic etiam informata

eius adolescentia fuit iis artibus, quibus aetas puerilis institui solet. Attamen patre orbatus, ut primum aetas laboris patiens fuit, in ipsum incubuit assidue; nam eius erat, post obitum parentis, necessitatibus familiae non opulentae consulere. Ex hac ergo laboriosa vita, cui coronam pietas, ingenium facile, itemque singularis prudentia imposuit, miram illam animi fortitudinem et constantiam hausit, quarum maius et certe praeclarissimum documentum eius exstinxit mors.

Huc attinet attingere praeclarissimum ab eodem tredecim annos nato pueru effectum facinus, quod egregie miram illam prudentiam divinumque plane consilium satis declarat. Nam, ut paulo ante commemorabam, quum ad matrem puerosque minores natu alendos ad typographicam officinam operam locaret suam, eos obtinuit muneris collegas, apud quos libidinosa passim obaudire verba cogeretur invitus.

Cautus igitur et honestus adulescens non sibi congruum existimans in tanto innocentiae periculo diutius versari, sponte, nullo homine suadente, statuit officinam nequitiae deserere et ad alium eiusdem civitatis probum typographum confugere.

Accedit igitur ad praefectum domus eique simpliciter rem aperit exspostulans, ut in sua officina, ne cunctetur eum accipere. Vir sane bonus et sapiens insolitam miratus prudentiam, et sinceritate captus, puerum eodem stipendio statim conductxit.

His ergo virtutibus crevit adulescens omnibus carus, matri vero carissimus, quod et pueri indolem magni faciebat ad pietatem procliviorem, et merito certam domi sua futuram spem in ipso collocarat.

Magnum his virtutibus ab ipso partis incrementum attulit ingressus in Mexicanae Iuventutis coetum an. MCMXXII, in quo ceteris omnibus facilime antecellere coepit, tum ingenio et eloquentia quadam nativa, tum, vel maxime, in eo frequentando, fovendo, augendo.

Factum deinde est, ut iamdiu parata Christi sanctissimae fidei pernicies in hoc tempus erumperet; Ecclesiaque Mater in hac Republica tumidis iactata fluctibus ventisque exagitata efferatis periclitaretur. Tentatis igitur viis omnibus ad tantum periculum propulsandum, sed frustra, ad extremum illud, omnibus notum, ventum est.

Quod indigne ferens, ut olim fortissimi Machabei, impiger adulescens, ut ex parte sua impendentem rebus quibusque sacris ruinam et vastitatem, miseramque insonitibus sacerdotibus (sine gemitu hoc dici non potest!) bonisque omnibus illatam cladem coerceret, rescissis fortiter et animes carissimis sibi intimisque affectionibus, Deoque devotis, prodit exsultans in campum, impias et inimicas «Christo Regi» legiones debellaturus insanosque earum furores protritus.

Praedicta igitur die domum, fratres, matrem, puellam promissam sibi sponsam relinques, paneque caelesti firmatus, ipse, cum flore mexicanae catholicae iuventutis, iuga asperitatesque montium petit.

Mexicanam vallem, cuius centrum eius nominis urbs condita tenet, undique occludunt altissimi montes, inter quos eminent «Popocatepetl» et «Ixtaccihuatl»; alter nive candidus, alter fumo ignibusque cristatus, pulcherrimi ambo visui. Ad partem vero, quae ad meridiem spectat, silvosi praeruptique montes ab oriente in occidentem porriguntur; hos inter caput ad nubes arduum extollit «Ajusco», sic dictus; in cuius fauces latebrasque primum se recipiunt armati. Hinc ad pugnam prodeunt et impetus incursusque in acies inimicas parant; primum quidem ex inopinato ruunt in oppidum Ajusco, quod a monte nomen mutuatur; praesidiarios profligant, arma ingentemque praedam obtinent; milites vero dimittunt paulo post liberos; nec ipsos in aciem recipiunt, ut omnes volebant, proditorem iure me-

tuentes; agros deinde saepe victores concursant.

In hac nova vitae ratione aerumnas toleravit Emmanuel prope martyrio pares; iuvenis praesertim qui propter agendi rationem susceptam et studium minime fuerat in duris militiae laboribus et exercitationibus tractatus. Attamen Deus illum animo virili et constanti et altum semper divinum obsequium appetente donavit; quo labore (supra quam vires sustinere queunt), inediā, vigiliā, algores, suorum defectiones, tristitiam, ipsum familiae amorem mentemque, supra quam cuiquam credibile est, ferre potuit. Ea nempe per pessus est, qualia ex suis privatis et quotidianis huius temporis ab ipso confessis commentariis cognovimus.

Ipsemēt vero strenuus miles Christi et sibi constans propositum sibi obiectum non deseruit; immo examinatis sociis post cladem acceptam suadentibusque vel in urbem fugam vel alio in loco latere ne deprehenderentur, hac voce respondit: «Liceat inerti timidoque militi agmina deserere tempestatemque, et, quod maius est, Ecclesiae minitans naufragium, aequo animo contemplari; abeat ignavus; ego indecoram fugam non repetam, et ad mortem usque pro Deo pugnabo».

Ad mortem equidem fortissimus adulescens pugnavit; ut, Deo iuvante, deinde referemus.

I. G. NAVARRO, S. I.

EX BATAVIA

De certamine poëtico Hoeufftiano
anni MCMXXIX.

Accepimus et libenter edimus:

Quinquaginta duo carmina in certamen poëticum a. MCMXXIX missa sunt his titulis:

1. Dux. - 2. Crepundia. - 3. Pristinae mentis redditus. - 4. Pan et Syrinus. -

5. Pro fausta Pontificis Regisque Italiae conciliatione. - 6. Corydon. - 7. Dux.
- 8. Immaculata Conceptio. - 9. Voces rerum. - 10. Lucus Vergili. - 11. Regnum parvulum. - 12. Septimii Severi somnium. - 13. Africam linquit Aeneas.
- 14. Italia renata. - 15. Sion. - 16. Matris viduae solacium. - 17. Teucro de germine flores. - 18. Lux in tenebris.
- 19. Vergilius redux. - 20. Ode in Benitum Mussolini supremum fascium ducem. - 21. III Id. Febr. MCMXXIX - 22. De Italorum conciliatione cum Summo Pontifice facta. - 23. Ad Alta. - 24. Tripolis expugnatio. - 25. Hora extrema. - 26. Homines primi. - 27. Virago Aurelianensis. A Tarbis ad matronam. Laudes expositionis Poloniae generalis Posnaniae. - 28. Acrosticha pacis. - 29. Vergilius et Horatius. - 30. Duo peregrini. - 31. Post fanum putre Vacunae. - 32. Hymenodora. - 33. Pietas. - 34. Dux.
- 35. Cambyses. - 36. Radmila. - 37. Perfer et obdura. - 38. Apotheosis Vergiliiana. - 39. O, ubi pueri! - 40. Victoria triplex. - 41. Error Paridis. - 42. Pietas.
- 43. Juveniles ludi. - 44. Hymnus in Beatum Ioannem Bosco. - 45. Ad mediam noctem. - 46. Pio XI annum emenso quinquagesimum. - 47. Fabularum liber primus. - 48. Nigellus. - 49. Pilatus. - 50. Musa levior. - 51. Aranea. - 52. Dux.

Ex his praemium aureum reportavit carmen, quod inscribitur: *Homines primi*.

Praeterea sumptibus legati Hoeufftiani in volumen recipientur carmina, q. t.: *Fabularum liber primus*, *Sion*, *Italia renata*, si poëtae eorum scidularum apriendarum dederint veniam.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentative privati, nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante kal. Ian. a. MCMXXXI

mittantur ad het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Centerum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portable prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero nsigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aprienda venia dabitur. Id autem ante kal. Iulias fieri debet.

Exitus certaminis in conventu Ordinis
mense Aprili pronuntiabitur, quo facto
scidulae carminibus non in volumen rece-
ptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die 1 Maii MCMXXX

P. SCHOLTEN,
Ord. lit. acad. reg. ab actis.

LUSCINIA

Alafrido Bartoli,
docto elegantique poëtae.

*O quae nocturno modularis tempore cantus,
flebile perfundens culta per arva melos,
indutos croceo memoras tu lumine montes,
ardua tu violis culmina sparsa, rosis;
caelo sub rigido morientes graminis herbas,
murmura tu recinis praetereuntis aquae.
Dulcis avis, fletu mulces quae pectora vatum;
carmen mellifluis lene retexe notis.
Vesperis en aurum, rutilans en purpura regis,
quem modo cantandi nobilis urget amor.
Suaviter en lauros suspiras inter olentes,
litora dum placida mersa quiete iacent.*

*Debilibus plumis flamen verbenula suffit,
frigus et arenti porrigit unda gulæ.*

*En celsis platanis numerosus concinis ales,
abditus en foliis ilicis usque gemis.*

*Assiduos promis tenui de gutture questus:
sidera te viduam, te sine luce vident.*

*Quaeque suos cantus silvestris consonat arbor,
quaeque suos gemitus frondea ripa ciet.*

*Celsis en tacitae descendunt montibus umbrae,
emicat occiduum nube rubente iubar.*

*Concine, dulcis avis, maestas sed pone que-
[relas:
ant or et ipse tuos persequor aure modos.*

ipse tuos persequor aure modos.

HIRUNDO

*Te sequor: implacidi superatis aequoris undis,
volveris in terram quae modo pulchra viret.
Caerulei fulgent solis sub lumine montes;
apparent niveis culmina celsa iugis.
Tu celeri penna scopulosas traicis arces
et spatium veluti recta sagitta voras.
Quae te meta vocat? cursu quo tendis? ab oris
te reducem Lybicis qui novus urget amor?
Traicis innumeris florentes artibus urbes,
silvas frondiferas traicis arva, lacus.
Te vetus oppidulum, muris quod cingitur altis,
margin'e dum violas commovet aura, vocat.
ardua, quam gyro tacito circumvolat aevum,
turris adest, tremulus funditur unde sonus.
Non procul exsurgit nemrosis villula clivis,
lucem quae crocei vesperis alta bibit.
Ic volucres tenero demulcent pectora cantu,
et vatem memorat blanda Camena suum.
Rachia frondosae tendunt ad sidera quercus,
pallentes hederae scrupea saxa tegunt.
Indique flexilibus sparguntur rura myricis
fontis et irriguas laurus inumbrat aquas.
trabe dependet constructus nidus acerna,
uc memor aerio tramite flectis iter.*

VINCENTIUS POLYDORI

“ SEROTERAPIA ” APUD MAIORES

Nihil novum sub sole! idque etiam de
hac medicinae ratione; quamvis apud
nonnullos opinio exstiterit, quidquid ad
«seroterapiam» attinet, ab antiquis igno-
ratum fuisse prorsus, nostrorumque lau-
dibus temporum penitus adiiciendum.

Ego autem neminem laedam, si aliquem e lectoribus meis, ceteroquin disciplinis imbutum reliquis et mirabiliter exultum atque expolitum, medicae tantummodo sermocinationis credidero experimentem, aut saltem in ipsa non usque ad fastigia versatum.

Huius itaque causa dicam «seroterapiam» esse medicinae partem, quae non coerceat expelletque morbos ubi in homine flagraverint, sed prohibet impeditque quominus accedant, villici morem sequuta, qui nocentes herbas ferasque in ipso germine callidior extinguit, antequam vel adolescentes, vel natae, frugibus obesse validius possint. Id in praxi: in thesi autem haec doctrina tamquam pro fundamentis ponit esse in sanguine, in visceribus, in toto homine demum plurima semina mortis, quae vel consuetudine, vel victu, vel habitu, et —(cur non dicam?)— vitiis quoque crescentia, fatalem diem vel ante tempus maturant et vitam acerbo funere mergunt, vel futuris incommoda senibus, mortemque parant, mortique ipsi sternunt commodius iter, aditumque patentiorem, quo homine primo impetu potiantur. Propterea quod si quis et viscera, et sanguinem, et carnes hisce seminibus liberaverit, hic homini datus erit iugem vitam atque diuturnam, senectam satis incommodis liberam et viribus valentem.

flecto est inter seroterapiam, quae humorem salutiferum in venas per sapiens vulnus ingerit, et seroterapiam, quae humorem salutiferum in venas pariter per stomachum adigit, absorbentibus vasculis chilum, quod ex constituentibus cibum eduliis conficitur, et, in venas, patientibus et distribuentibus vasculis, in sanguinem adigitur convertendum. Si vero pharmacopaeam antiquorum omnem respexeris, si medicinam ipsam antiquorum pariter omnem, hasce videbis innixas nec secretis, nec dissimulatis principiis duobus toto caelo inter se divisis, et contradicentibus, nempe: «*Similia similibus curantur*», et: «*Contraria contrariis*». In primo seroterapia omnis, quanta et quae nunc est, continetur. Tota enim est in excitando morbo per venena manufacta (lege: *remedia*) eiusdem speciei ac ipse quo affiebatur aegrotus; morbi autem naturales vires illo, ut ita dicam, manufacto morbo absorbabantur, quae quum in potestate medici curantis essent, huius nutu tenuique negotio dissolvebantur et

Atqui illi qui talia spondent, neque ingrata, neque etiam impossibilia pollicentur, et aliquid vel ipsis tenebricosae antiquitatis diebus praedicatum. Quid enim

d Biblicum sonat: «Anima carnis in
guine est?» Quid Horatianum illud:

*Crescit indulgens sibi dirus hidrops,
Nec siccum pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor?*

Quid Hippocraticum aphorisma: « Cognitio morbi, facilis curatio? »

Graecus autem medicus, Lambadarios de Syra, studiorum omnium in supremam Athenarum arcem adscitus, praeclara de Galeno ad seroterapiam pertinentia refert. Galenus enim leprosos curasse dicitur viperinae carnis comedione, idque facere se monebat propterea quod veleno viperae leprosum virus coerceretur atque extingueretur. Nihil autem, aut minimum profecto est inter seroterapiam, quae humorem salutiferum in venas per sapiens vulnus ingerit, et seroterapiam, qua humorem salutiferum in venas pariter per stomachum adigit, absorbentibus vesiculis chilum, quod ex constituentibus cibum eduliis conficitur, et, in venas patientibus et distribuentibus vasculis in sanguinem adigitur convertendum. vero pharmacopaeam antiquorum omnium respexeris, si medicinam ipsam antiquorum pariter omnem, hasce videbis inni nec secretis, nec dissimulatis principiis duabus toto caelo inter se divisis, et tradicentibus, nempe: «Similia similares curantur», et: «Contraria contrariae sunt».

In primo seroterapia omnis, quae nunc est, continetur. Tota enim in excitando morbo per venena manu (lege: *remedia*) eiusdem speciei actione quo afficiebatur aegrotus; morbi a naturales vires illo, ut ita dicam, in facto morbo absorbebantur, quae in potestate medici curantis essent, nutu tenuique negotio dissolvebantur exterminabantur. Patet igitur seroterapiam omnem in hoc et proposito eius antiquorum coactam.

Quid? Jenner qui pustulas, qui vario-

las provocat in homine, pus infundens venis vaccinum, ad quas confluat virus pestis illius pustuliferae et varioliferae in sanguine latens, quod postea in arabicas variolas flagraret mortiferum, nihil sequitur praeter antiquorum aphorisma medicorum. Deerat seroterapia nomen; haud infiior; sed facta convenient in unum.

Neque praetereundum silentio Mithridatem puto, qui, ne veneno invidentium occideretur, ita venenatis offis et potionibus uti quotidie solitus erat, ut offa obstareret extingueretque venenatae potionis potentiam; potio, obstante offae viru, nihil stomacho posset; stomachus autem ipse, venenis assuetus, nihil pateretur inducis. Dicitur haec non semper suo periculo probavisse, sed in certamina huiusmodi plerumque criminis reos rapuisse; ipse spectator exsisteret; multa sic, quae ad genus medicaminum pertinent, illo auctore, comperta sunt. Eo quinimo provectus est, ut grue Euxina passim vesceretur, quia haec impune viperas vel vivas depascitur, idque ne vipereo quidem viru cogeretur ad mortem. Hoc autem usu venenis fecerat insuperabile corpus, nec, quum veneno absumi victus volebat, potuit restinguiri, et vitam servavit invitus.

Traditur insuper medicamentum confecisse, quod «antidotus Mithridaticus» vocabatur, qui, sumptus quotidie, incolument a veneno quovis faciebat sumendum.

Alterum vero aphorisma, quod fert contraria contrariis curari, ex integro in usu Mithridatico est, qui nempe mortiferam actionem narcoticorum excitantibus delebat venenis, excitantia et succendentia venena venenis sedantibus opprimebat.

Sint ergo suae laudes cuique; et maiores nostris quia non ignoraverunt, feli citerque reperierunt ac tradiderunt, et aequalibus nostris viris, qui arte summa, felicitate mira, imperfecta veterum studia novis ditavere studiis, atque, iisque fel-

cioribus, ornavere, tum novum disciplinarum agmen ad medicinae famulatum prospere excitaverunt, et, bacteriologiae viam semel arrepti, magnum ipso ab exordio nanciscuntur fructum adinventionum suarum.

G. P.

ROMANA RES

Conventus alter ad «Romana studia» provehenda.

Postremis superioris Aprilis mensis diebus, Romae, magno doctorum concursu tum ex Italia, tum ex exteris gentibus, habitus est conventus alter ad «Romana studia» provehenda. In summa Capitolii arce inaugurata a supremo Italicae institutionis magistro, qui in oratione sua, Romae vitali vi commemorata, sollemniter est protestatus, ipsi, ad Italicae instauratio opus persequendum, gubernium, quod a fascibus nomen sumpsit, inniti, labores suos peregit in Borrominianis iis aedibus, quae, auspice Philippo Nerio, primae renascentis humanitatis splendida specimina viderunt, caelestesque Petri Aloisii illius Praenestini concentus audierunt.

Qui quidem labores multi variique et sapientia locupletes in singulis partibus evasere. Harum prima fuit de conservandis augendisque ubique monumentorum effissionibus, quae aliquid Romanae vitae revelatura sint, deque rationibus, quibus, post sollemnia Vergiliana, quae nunc celebantur, annum bismillesimum ab Augusti morte digne commemoretur. Altera, quae ab aevo quod medium dicimus nomen sumpsit, in studium praesertim iuris communis pontificii incubuit, fundamentoque posuit ad «codicem diplomaticum

Urbis Romae medii aevi¹ exarandum, itemque studiorum seriem statuendam, quae politicas oeconomicasque institutiones, hominumque solique condiciones in Romana regione illustret; idque maxime per «chartariorum Monasticorum et Episcopalis» inspectionem.

Eiusmodi excerpta, eaque ex paroeciarum, sacrarum sodalitatum et apostolicarum visitationum archivis, decreta sunt in tertia conventus sectione, quae Romam consideravit in renascenti — prout vulgo nuncupatur — et recenti aetate. Quod autem ad nostros dies spectat, de peculiari bibliotheca pertractatum est, quae omnis de operibus sit Romani argumenti, deque novis formis Urbi dandis, quae eius dignitati nunc etiam respondeant.

Neque defuit caput de iuridica doctrina, neque de litteris variisque aliis disciplinis et artibus; quum tamen cautum esset, ne ab Horatiano illo discederetur:

Denique sit totum simplex dumtaxat et unum.

Cum dictaminibus optime exercitatio consociata est; visitatio nempe novarum excavationum et operum tum Romae tum Ostiae aliisque in locis, ut lacus illius Nemorensis, ubi, Romano quidem ausu, subducta nuper, in conspectu tandem est navis illa, de qua per tot saecula fuerat disceptatum.

Quid plura? Conventus hic amplissimam messem sevit, a qua uberrimos fructus in Romanae gloriae amplificationem sperare licet. Sit auctoribus debita laus, atque praesertim clarissimo viro Carolo Galassi Paluzzi, quem honoris gratia nominamus, quippe, Coetus ad Romana studia provehenda praeses et a secretis conventus, omnia summa alacritate, sollerti cura et miro ordine disposuit, perfecit.

A. R.

COMMUNIA VITAE¹

Voces animalium.

Accipiter pipat, clamat.

Acredula militat.²

Anas tetrinit.

Anguis sibilat.

Anser gracilat, gracitat, clangit, gemit.

Apis bombilat, bombitat, susurrat.

Aper frendit.

Aquila clangit.

Aries blaterat.

Asellus oncat.

Asinus rudit.

Barris (*Elephas*) barrit.

Bos boat.

Bubo bubulat.

*Buteo*³ bubit.

Camelus blaterat.

Capra musit.

Canis latrat, baubatur, hirrit.⁴

Catulus glauicit.

Cicada trinit.

Ciconia glottorat.

Columbus et *Palumbus* plausilant.

Columba et *Turtur* gemunt.

Cornix crocit.

Corvus crocit.

¹ Cfr. fasc. sup.

² *Acredula*, quae legitur et *agredula*, avis est quaedam, quam alii lusciniam putant esse, alii vulgo vocant *solitariam*, alii credunt alaudam illam, quam Itali *calandra* appellamus; alii ravarinum, apud nos *cardellino*. De ea auctor carminis de *Philon.* 15, a Forcellinio citatus: *Vere calente novos componit acreduela cantus, Matutinali tempore tum militans.* Sunt denique qui tenent non avis, sed loquacis et stridulac ranae genus esse, quod versum illum Arati: *Ἡ τρύζει ὄρθρινὸν ἐρημαῖη ὀλολυμόν* ita vertit Cicero (I *De Divin.* 8): «Et matutinis acreduela vocibus instat».


³ Avis rapacis genus, quod Itali vocamus *poiana*.

⁴ Canis caesus *baubatur*; *hirrit* quum quis offam ei ex dentibus eripere tentat.

Coturnix grilissat.
Cynus drensat, canit.
Cuculus cuculat.
Equus hinnit.
Felis maum:at.
Gallina gracillat.
 » ante ovum glocit, glocitat.
 » post ovum singultit.
Gallus cuculat, canit.
Gallus indicus cucurit.
Gracculus frigulat.
Grus gruit.
Gryllus grillat.
Hirundo trinsat, trissat, zinsilulat, frintin.
Hircus mutit.
Leo rugit, frendit.
Lepus vagit.
Lupus ululat.
Luscinia cantillat.
Linx orcat.
*Meleagrides*¹ caccissat.
Merula balbutit.
Milvus lipit, iugit.
Mus mintrit.
Musca bombit.
Mustela drinsat, dintrit.
Noctua cucubat.
Onager et Cervus rudunt.
Ovis balat, belat.
Panthera caurit.
Pardus felit, rictat.
Passer pipit.
Pavo pupillat.
Perdix cacabat.
Pica (Monedula) picat, fringultit, fringulit.
Pipio minutit.
Pullus pipilat.
Psittacus loquitur.
Rana coaxat.
Sintia stridet.
Sorex destriccat, occinit.
Strix stridit.

Sturnus pisitat.
Sus grugnit, grunnit.
Taurus et Vitulus mugint.
Tigris rancat, raccat, raucat.
Turdus trutilat.
Ulula ulutat.
Upupa popissat.
Ursus rudit.
Verres quirritat.
Vespertilio stridet.
Vulpes gannit.
Vultur pulpat.

I. F.



AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecpta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

Dolores nonnunquam observantur stata periodo ad instar intermittentium invadentes; si haec succedant, pro certo habebas causam proximam illorum aliunde advenire, nec in affecto loco generari. Irritisque quibusvis remediis observavi quod, si tribus horis ante invasionem doloris lene purgans exhibeatur, praesertim in imo ventre, tragoediam excitat, et brevi feliciterque subripietur; imo quicumque alii periodici dolores per repetitas huiusmodi purgationes protinus recedent (BAGLIVIUS).

§ 263. — Abscessus latentes hepatis per intolerabiles cruris aut surae dolores nullis remediis cedentes manifestantur (HOLLER, Comm. 2 ad 1. 2 Conc. Hippocrat., fol. 348; IACOTIUS, in Conc. Hippocrat.); BANHINUS, Observat. in Tab. anatom.).

§ 264. — Observavimus nos, quamvis in tertiana magna bilis copia evacuata fuerit,

¹ Gallina Africana, vulgo *Pharaonis*.

¹ Cfr. fasc. sup. mensis Februarii.

tebrim magis atque magis exacerbari; et ex simplici duplcam, ex duplci chronicam, aut lethalem demum evadere. (BAGLIVIUS). — Lenia ecoprotica, salina roborantibus iuncta, et forma liquida propinata propria solventia dici merentur, nequaquam autem stricta purgantia. Solventia talia vere iudicantur, non autem purgantia (SOLL.).

§ 265. — Febres intermitentes ab adhibito in principiis purgante in peius ruunt, continuae fiunt; et si purgantia repetantur, diuturnae et lethales evadunt.

§ 266. — BAGLIVIUS sequentia remedia vocat specifica: In intermitentibus corticem peruvianum — in dysenteria serum lactis — in affectione hysterica sal aut bezoardicum aut iovis — in doloribus post partum tinctura siccini cum aqua cinnamomi extracta, et exigua syrupi cinnamomi quantitate addita — in ictero flavo spiritus salis ammoniaci acidus.

§ 267. — Lac est specificum remedium ad sanguinis acrimoniam compescendam: tutius exhibetur verno et autumnali tempore, quam aestivo. Si diarrhaea ex ventriculi cruditate viget, abstinentum pariter ab illius usu erit: aegrorum ex nervorum capitum affectionibus noxiis maximopere est lac. Lac nervis et capitum contrarium; pectori familiare; infimo demum ventri flatuosum.

§ 268. — Saepissime in praxi observavi methodum recentiorum per remedia spirituosa, volatilia et impetum facientia, morbis chronicis summopere conferre, acutis contra summopere obesse (BAGLIVIUS).

§ 269. — Multa scire oportet medicus et pauca agere, dum ad curationem morborum vel nimis acutorum, vel complicatorum descendit.

§ 270. — HIPPOCRATE et experientia teste certum est tertianas simplices septem circuitibus sua sponte recedere.

§ 271. — In rusticis et qui medicorum opera non utuntur, iucundo sane docu-

mento huiusmodi crises, sive despumationes peccantis materiae, per sudores, alvi fluxus, urinam, aliasque naturae vias perfici, et motu prorsus ordinario fieri videmus.

§ 272. — HIPPOCRATES ipse, in febrium praecipue acutarum curatione, paucissimis utebatur medicamentis; et, si excipias lene vomitorium, clysteres, aut simile remedium, quod circa initia adhibere cogebatur, in progressu morbi sola *ptisana*, ad morbi genum varie temperata, contentus, et naturae reliqua committens, adsidens ipse illius spectator crisim expectabat; ut constat ex illius Libro *de diaeta acutorum*, etc.

§ 273. — HIPPOCRATES, diuturna eductus experientia, naturam esse morborum, praecipue acutorum, medicatricem, in illorum curatione, post praescripta paucissima in principio morbi medicamenta, quem res ad statum tendebat, a remediis prorsus abstinebat, et omnia naturae committens, securus crisim expectabat. Attamen (observat STOLL) dummodo morbi genus et malignitas idem permitterent.

§ 274. — Pauca sunt curandis morbis necessaria remedia, si morbus curam recipit: si vero fuerit incurabilis, usu remiorum vires acquiret, aegrotumque coniicit in discrimen; incongruis enim remediis digestionis facultas extenuabitur, et parabitur in dies novus morbo fomes in aegri detrimentum.

§ 275. Cum febris aliquae morbi in longum protrahuntur tempus, nulla est ratio medendi melior, quam pharmacis abstinerere, adhibito tantum conveniente victu, quo foveatur natura. In chronicis enim pauca requiruntur remedia, eiusque sint generis, quae parti affectae convenient quasi specifica. Semper autem in morborum diuturnitate consulendum est digestionibus.

(Ad proximum numerum).

ANNALES

Londinensis et Genevensis con-
ventus.

Londinensis conventus ad navales copias inter varias nationes definiendas, est tandem dimissus, quem tamen solvere quaestionem non valeret, quae omnium caput erat, praescriptionem nempe bellici apparatus, saltem marini. Ex duobus consiliis quae opportunitas admonuit, quaeque in superiore fasciculo retulimus, unum compositum est, ut definitiva scilicet sententia differretur, atque interim Anglia, Septentrionalis Americae Civitates et Iaponia, quae inter se de cuiusque negotiis convenerant, Galliae atque Italiae invigilarent, ne modum necessitatum suarum excederent. Equis vero harum necessitatum modus?... Italia ad iura sua tuenda parem cum Gallia navales vim habendi, nulla interposita mora, bellicas novas naves quinque in mare sollemniter immitt.

Interim appropinquat dies, qua Societatis Nationum sessiones Genevae resumantur; dum coetus ad unum vel alterum argumentum peculiariter disceptandum constituti iam congregantur. Quorum qui ab arbitratu et securitate nomen sumpsit, post annum unum numerare lubenter potuit sex supra viginti esse iam civitates, quae sponte ad Hagenses clausulas de arbitris ex officio adeundis accesserint.

Parisiis denique pactiones firmatae sunt de orientalibus damnis reficiendis.

* * *

Ex India.

Renixus, a Gandhi illo praedicatus, non quidem pacificus evasit neque iners, in Bengalae praesertim et Mysou regionibus, ubi cruentae conflictationes inter-

cessere, per quas vel id nunciatum est, Anglos plures civitates deserere coactos fuisse. Ex adverso Angli tanta vi se pollere ostenderunt, ut Gandhi circumdecent atque captivum fecerint.

POPLICOLA.

ROMA SACRA**SS. D. N. Pii Pp. XI Litterae Ency-
clicae de Christiana iuventutis edu-
catione.¹**

Ad perfectam autem educationem asse quendam curare opus est, ut quae omnia pueros, dum instituuntur, circumsaepiunt, ea proposito apte respondeant. Et profecto quod primum ex necessitate naturae puerum rite confirmandum circumdat, ipsa eius familia habenda est, ad hoc demum munus a Deo constitutam. Atvero quo res ad domesticam institutionem spectantes misere nostris temporibus deciderunt! Itaque Pater Sanctissimus hic universi orbis Episcopos "per Iesu Christi divinam erga homines caritatem" obsecrat atque obtestatur ne quid reliqui faciant ut "parentes, non tam generatim quam singulatim, perdiscant, quae sibi incumbant officia ad religiosam quod attinet et moralem et civilem liberorum suorum educationem, et quae potissimum, praeter sanctioris vitae sue exempla, viae ac rationes ad eam efficacius consequendam conducant". Quibus viis ac rationibus enucleatis — (sunt peculiares: familiaris disciplina in Dei timore, omnis sapientiae initio; Gratiae auxilia per sacramenta acquirenda; ritus et Ecclesiae caeremoniae; magnus numerus et varietas scholarum, coetuum, institutorum, quorum omne genus Ea fovet ac sustentat, ut ad pietatem, ad litteras doctrinasque, adhibitis quoque iucunditatis

¹ Cfr. fasc. sup.

oblectamentis et ipsa corporis exercitatione, adolescentes instituantur) — unde recte affirmari queat Ecclesiam et familiam unum quodam christiana educationis perfugium et quasi sacrarium habendas esse, pergit:

"Quod autem novae progenies omnibus iis artibus ac disciplinis instruenda essent quibus civilis convictus proficit ac florescit, et sola ad id familia minime sufficeret, propterea publica gymnasia ortum habuerunt, primum tamen — diligenter attendite — Ecclesiae familiaeque in unum conspirantium operâ, multo autem post, reipublicae. Quapropter litterarum sedes ac scholae, si, ad historiae fidem, earum originem inspiciamus, naturâ suâ tamquam subsidium ac fere complementum Ecclesiae simul et familie extiterunt; consequens igitur est, publicas scholas non solum familiae atque Ecclesiae repugnare non posse, sed etiam cum utraque, quantum res patitur, congruere oportere, ita nempe ut tria haec — schola, familia, Ecclesia — unum fere christiana institutionis sacrarium efficere videantur, nisi velimus scholam a suo plane proposito aberrare et in adolescentium pestem atque perniciem converti... Inde necessario consequitur, per scholas, quas *neutrae* vel *laicas* nuncupant, omne fundamentum christiana educationis disiici atque everti, utpote a quibus religio omnino removeatur; quae ceterum scholae nullo modo nisi specie *neutrae* erunt, quum religioni plane infensa reapse aut sint aut futurae sint.

"Longum est neque vero oportet ea repetere quae decessores nostri, praesertim Pius IX et Leo XIII, aperte declararunt, quorum in tempore potissimum incidit, ut gravissima huiusmodi laicismi pestis in scholas publicas invaderet. Eorum Nos expostulationes¹ iterantur, quae ab aliis, ut Leonis XIII verbis utamur, "non modo certis horis doceri iuvenes religionem, sed reliquam institutionem omnem pietatis sensus redolere. Id si desit, si sacer hic habitus non doctorum animos ac dissentium pervadat foveatque, exiguae capientur ex qualibet doctrina utilitates, damna saepe consequentur haud exigua".²

¹ Pius IX, Ep. *Quum non sine*, 14 Jul. 1864. — Syllabus, Prop. 48. — Leo XIII, alloc. *Summi Pontificatus*, 20 Aug. 1880; Ep. enc. *Nobilissima*, 8 Februarii 1884; Ep. enc. *Quod multum*, 22 Aug. 1886; Ep. *Officio sanctissimo*, 22 Dec. 1887; Ep. enc. *Caritatis*, 19 mart. 1884, etc. (cfr. Cod. iur. can. cum fontium adnot., ad can. 1874).

mus ac confirmamus, itemque sacrorum Canonum praescripta, quibus catholici adolescentes prohibentur ne scholas cum neutras tum mixtas, eas scilicet ad quas, nullo discrimine, catholici et acatholici instituendi convenient, quavis de causa frequentent; quas tamen adire licet, prudenti dumtaxat Ordinarii iudicio, in certis quibusdam tantummodo locorum temporumque conditionibus, modo peculiares cautiones adhibeantur.¹ Neque illa tolerari potest schola (praesertim si ea "unica" sit ad eamque omnes pueri accedere teneantur), in qua, etsi sacrae paecepta doctrinae separatim catholicis traduntur, tamen catholici non sunt magistri, qui pueros catholicos acatholicosque communiter litteris atque artibus imbuunt.

"Neque enim quia doctrina religionis in aliqua schola (plerumque nimis parce), impetratur, idcirco haec iuribus Ecclesiae ac familiae satisfacit et digna fit quae ab alumnis catholicis celebretur; nam ut hoc quaevis schola revera praestet, omnino oportet ut tota institutio ac doctrina, scholae ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri, ad quamvis disciplinam quod pertinet, christiano spiritu, sub ductu maternaque Ecclesiae vigilantia, sic imbuti sint ac polleant, ut Religio ipsa totius instituendi rationis cum fundamentum tum fastigium constitut; neque hoc solum in scholis in quibus doctrinae elementa, sed in iis etiam ubi altiores disciplinae traduntur. "Necesse est", ut Leonis XIII verbis utamur, "non modo certis horis doceri iuvenes religionem, sed reliquam institutionem omnem pietatis sensus redolere. Id si desit, si sacer hic habitus non doctorum animos ac dissentium pervadat foveatque, exiguae capientur ex qualibet doctrina utilitates, damna saepe consequentur haud exigua".²

"Nemo tamen obiicit, fieri omnino non posse, ut ea respublica, quae homines diversa

¹ Cod. iur. can., c. 13 4.² Ep. enc. *Militantis Ecclesiae*, 1 Aug. 1897.

quod ad religionem sentientes complectitur, puerorum institutioni aliter consulat quam per scholas quae neutrae ac mixtae vocantur, quum, contra, ipsa res publica civium eruditio prospicere et prudentius debeat et facilius queat, si Ecclesiae familiarumque hac in re coepit operamque libere perfici atque adhiberi sinat, aequis praeterea alteram alteraque fovendo muniendoque subsidiis. Id autem, magno cum familiarum gaudio itemque profectu publicae sive eruditionis sive tranquillitatis, effici posse, ea plane demonstrant, quae videmus usu venire apud quasdam nationes, in quibus, etsi alii aliam religionem sectamve sequuntur, ordo dispergitioque scholarum nullo pacto iura familiarum offendunt, non solum quod pertinet ad doctrinas (praesertim quum illic catholici ludi catholicis adolescentibus praesto sint), sed etiam quod spectat ad aequam rectamque sumptuum compensationem a republica collatam scholis illis quas familie iure suo postulant.

« At vero in aliis, mixtae item religionis, nationibus res se longe aliter habent, haud exiguo cum catholicorum hominum detimento; qui, auspicibus ducibusque Episcopis et sacerdotibus omnibus utriusque cleri operarentibus, pecuniā dumtaxat suā scholas sustentant ad filios suos recte instituendos — memores ut sunt gravissimi quo obstringuntur officii — et, laudabilis liberalitate ac constantia, in suo persistant proposito, illud tamquam insigne sua actionis praeferebentes ut scilicet "omni catholicae iuventuti catholicam educationem in scholis catholicis" omnino provideant. Quod quidem coepit, etsi sumptu publico minime fulcit, ut lex iustitiae postularet, tamen a magistratibus praepediri ac vetari nullo modo potest, nisi ii velint sacra familiae iura conculcare et germanae libertatis nervos infringere. Ubi vero gentium primis hisce libertatis quasi elementis repugnatur vel multiplici ratione officitur, homines catholici nunquam satis, vel per maximas molestias, in eo elaborabunt ut scholas suas tueantur incolumes et iustae de libera adoles-

scentium institutione leges auspicio condantur.

« Quicquid autem ad scholam catholicam in filiorum suorum usum provehendam ac tueri a christifidelibus agitur, opus religionis sine ulla dubitatione est, proptereaque potissimum "Actionis Catholicae" munus; ita ut paterno animo Nostro pergratae sint, sintque praecipuis laudibus dignae sodalitates illae omnes, quae multifariam in opus tam necessarium peculiari modo ac studiosissime incumbunt. Quapropter alte denuntietur et bene ab omnibus animadvertisatur atque agnoscatur, christifideles, catholicam scholam filiis quaerendo suis, nusquam gentium opus admittere politicae factionis, sed fungi religionis officio, quod sua ipsorum conscientia necessario postulat; iisdemque eam esse mentem non ut filios suos a reipublicae disciplina atque spiritu distrahant, immo ut ad id ipsum, perfectissimo modo atque nationis utilitati accommodatissimo, conforment quum catholicus veri nominis, a catholica quidem doctrina instructus, hoc ipso optimus civis, cultor patriae, publicae auctoritati sincera fide obtemperans, sub quavis legitima regiminis forma, reperiatur. In eiusmodi vero schola, quae cum Ecclesia et cum christiana familia concordat, eventurum profecto non est, ut, manifesto cum educationis detimento, ea variis in disciplinis oppugnentur quae in religiosa institutione discipuli didicerint; quod si praceptores, pro sua magisterii sollicitudine, ad eorum cognitionem, refutationis causā, libros erroribus inquinatos duxerint perferendos, talibus id quidem cautionibus talique sanae doctrinae remedio praestituri sunt, ut non iacturam, sed potius utilitatem christiana inde iuventutis educatio capiat.

« Qua in instituendi ratione, itidem, non est cur patrii sermonis classicarumque, ut aiunt, litterarum studium ullum unquam morum sanctimoniae detrimentum afferat; christianus enim magister exemplum de apibus capiet, quae quicquid in floribus purissimum est, sugunt reliquumque dimittunt, ut in ser-

mone de classicorum scriptorum lectione¹ adolescentes sanctus Basilius docet. Quae quidem necessaria cautio — ab ethnico quoque Quintiliano proposita² — minime impedit quominus christianus magister, quae vere bona et utilia in disciplinas earumque tradendarum rationem tempora nostri intulerint atque inferant, ea adsciscat adhibeatque, secundum illud Apostoli: "Omnia probate; quod bonum est tenete".³ Quocirca, dum nova assumit, cavebit ipse, vetera ne facile deserat, quorum utilitatem et vim plurium saeculorum usus docuerit, litterarum latinarum in studio praesertim, quas cotidie magis prolabentes cernimus, ob neglectas, perperam sane, docendi rationes, ab eo, qui in Ecclesiae praecipue scholis magnopere floruit, sano humaniorum litterarum cultu tam utiliter usurpatas. Mos vero nobilissimus a maioribus traditus postulat ut iuvenes, catholicis scholis commissi, litteris utique et doctrinis plene pro temporum nostrorum conditione, sed simul etiam saniore philosophia solide ac penitus imbuantur, inordinata eorum levitate posthabita qui "invenissent forsitan necessaria nisi et superflua quaesiissent".⁴ Itaque ea magistro cuique christiano ante oculos habenda sunt, quae brevi sententia Leo XIII complectitur: "... alacrius admittendum est, ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicae fidei omnino conformis in litteris et disciplinis vigeat, praesertim autem in philosophia, ex qua recta aliarum scientiarum ratio magna ex parte dependet".⁵

« Salutaris autem scholarum efficientia non tam rectis legibus quam magistris rectis tribuenda est, qui, egregie parati atque suam quisque callentes disciplinam, discipulis tradendam, mentis quidem animique laudibus or-

¹ P. G., t. 31, 570.

² Inst. Or., I, 8.

³ I Thess., V, 21.

⁴ SENECA, Epist. 45.

⁵ Leo XIII, Ep. enc. *Inscrutabili*, 21 Apr. 1878.

nati quas munus sane gravissimum postulat, casta et divina caritate erga iuvenes sibi commissos flagrant, perinde ac Iesum Christum eiusque Ecclesiam diligunt, — quorum illi sunt filii carissimi — atque hoc ipsis sincere bonum verum familiarum ac patriae cordi habent. Praeclaris igitur afficimus solaciis gratoque divinam Bonitatem prosequimus animo, quem videamus ad sodales religiosos et religiosas virgines, quotquot docendis pueris adolescentibus se devovent, tot tamque probos accedere utriusque sexus praceptores, eosdemque — ad animum sanctius excolendum in congregations quoque et sodalites proprias coeunt, quae tamquam nobilissimum validumque "Actionis Catholicae" praesidium laudandae ac promovendae sunt —, utilitatis immemores suae, enixe constanterque illi operam dare quam "artem artium et scientiam scientiarum" Sanctus Gregorius Nazianzenus¹ vocat, scilicet iuvenes regundi ac conformandi... »

« Oportet praeterea, adolescentis educatio, quippe qui sit "cereus in vitium flecti",² in quacumque consuetudine vitae ipse se habeat, dirigatur et custodiatur, malas removendo occasiones, bonas autem opportune sufficiendo, in animi remissionibus et in delectu sodalium, quia "corrumptunt mores bonos colloquia mala".³ Nostris, ceteroqui, temporibus eo plenius ac diligentius evigilandum est, quo plures iuvenibus imperitis faciendis morum pietatisque naufragii occasiones increbescunt, maxime ex impiis obscenisque libris, quorum satis multi nefarie parvo veneunt ac propagantur, ex cinematographicis ludis, nunc autem ex radiophonicis quoque auditionibus, quae cuiusvis generis lectio — sicut cinematographa quodlibet spectaculum — plerisque exhibent atque faciliorem reddunt. Validissima eiusmodi ad quidvis evulgandum subsidia, quae, si ad sana

¹ Oratio II, P. G., t. 35, 426.

² HORAT., Art. poēt., v. 163.

³ I Cor., XV, 33.

principia apte regantur, eruditioni magnopere atque educationi prodesse queant, saepe — proh dolor — provehendis vitiiorum illecebris sordidisque quaestibus serviant. Sanctus Augustinus in ardore ingemiscebatur, quo ad ludos circenses christifideles eius temporis complures rapiebantur, depravationemque Alippi, discipuli et amici sui, quae, feliciter, paulisper constituit, vividis verbis enarrat.¹ Quot iam adolescentes, ludis hodiernis et turpibus libris corruptos, parentes de magistri nunc defleant oportet! »

Omnia itaque laudanda illa et adiuvanda opera educationi dedita, quae, « christiano prorsus spiritu studioque ducta iuvenum animis subveniendi, opportunis libris et ephemeredibus parentes potissimum et praeceptrores de insidiis edocent, quae, subdole plerumque, moribus et religione per libros et spectacula struuntur, itemque, praeterquam quod curant, ut saniores libri in vulgus propagentur, et ludi scaenici rectae institutioni fructuosi habeantur, magno quidem impendio theatra et cinematographa aliquando condunt, unde christiana virtuti non modo nihil discriminis incidat, verum etiam haud parum accedat utilitatis ».

Postrema Pontificiae encyclicae pars definit in quo christiana educatio praecipue posita sit, nempe luculenter demonstrat supremum educandi munus atque officium ad Ecclesiam pertinere, cuius sancta institutio perfectam absolutamque educationis formam omni tempore, in omni civium ordine atque in quavis vitae conditione retulit.

¹ Conf., VI, 8.

Socios,

qui nondum subnotationis suaee pretium solverunt, iterum iterumque rogamus velint quo citius moras interrumpere.

VARIA

Templum S. Marci Venetiis.

Templum S. Marci Venetiis non tam magnitudine et vastitate sua, quam ornatum insigne, et in primis augustum. Si primum ingrediare, crucis figuram praeferre videatur, cuius anguli in altissimas consurgunt turre ac testudines, quarum fastigia, ut reliqua templi facies, plumbeis tegulis adoperta, ac centum viginti stadia ex alto ad urbem navigantibus, inter eminentissima urbis aedificia occurunt; superbissimi ad id fornices, mira inter se arte coeuntes, totam molem fulciunt. Quidquid operis est a media templi parte purissimo fulget auro, musivo opere mirifice variegatum; in ipso testudinum connexu Graecanici operis vetustissimae imagines moesta quadam ac venerabili praesentia horrorem cum religione mixtum oculis spectantium inferunt; marmoreae undique tabulae ad pavimentum usque ipsum varii marmoris occurunt, tanto artificio sibi ad invicem compositae, ut eadem inter se similes videri possint. Sedilia circum, eadem marmorea; pavimentum vermiculatu opere marmoreis frustis distinctum. Columnae complures Parii lapidis, vel Tapsici, aut Numidici, cum duplice suggestu marmoreo. Cautum decreto publico fuerat, ut quidquid egregii operis Veneti ipsi navaentes quocumque terrarum abirent, id ipsum Venetas deferrent.

Vestibuli aurei fornices trecentis et amplius fulciuntur columnis, magnitudine et colorum varietate conspicuis; intercolumnia et quidquid in area ipsa operis est, cum ipso pavimento marmoreis tabulis pro tectorio renidet; vestibuli partem superiorem equi quatuor aenei diverso statu varioque exornant; templi supercilium senis sese pinnaculis explicat; quorum

singula, in tabernaculi speciem surrecta, singulas habent ex candido lapide statuas, splendidissimi adspectus simulacra, suo quaeque statu operibus inserta, miro quodam modo ipsam pinnarum exornant intercapedinem.

Exstructum ferunt sub Sebastiano Ziano duce, ab architecto Constantinopolitano.
(Ex NICOLAO CAUSINO).

**

Musca et formica.

Praeserens se formicæ musca, illam abiicere verbis et se extollere: « Vide enim — inquit — quanta sit humilitas tua. Cava loca terrarum incolis et perpetuo humi reptas, magno cum labore tenuem victimum quaerens. At me aliae in sublime ferunt, et accipiunt mensae regiae, auro et argento; ego eadem bibo, delicatissimis cibis vescor, purpurae incubo ... »

Fastidiosae inflatae opinione felicitatis respondit formica: « Hoc etiam adde, improbitatem tuam invisam et odiosam esse omnibus; contra te flabella et venena parari. Itemque hoc, modica anni parte durare hanc beatam vitam tuam, dum sol servet; hyeme et frigoribus statim occidere. Ast ego aestate mediocri labore exerceor, ut hyeme quietam et securam vitam degere possim ».

Fabula hoc ait: « Qui quae vult dicit ea quae non vult audit ». Et etiam « non esse in parvis commodis, sed sine magnis incommodis vitam beatam ».

**

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Pullina caro in formulis concreta, iusculo madefacta.

Iecur cammarinum.

Artocreas ex intibus.

Vituli latera in pistrino cocta cum solanis tuberosis recentibus.
Mulsum ex ovi luteis in Lilybaeo vino laxatis.

**

Iocosa.

Tuccius vino nimis indulget. Avunculus opportunis argumentis a vitio nepotem abstrahere studens, addit:

— Novi hominem qui ob violentiam coecus est factus.

Cui Tuccius:

— Ego, e contra, quum bene sum potus duplex video.

Tuccius tabellario:

— Da mihi, queso, alteram epistolam. Quam enim pro patre nuper mihi tradisti, perdidi.

**

Aenigmata

I

Vindicat esse sibi quae *prima* est; *altera* retro Praestat idem gradiens; sed pergens ordine [suetu] Feliculae insidias soli tutamine vitat. *Totum* si quaeras, unus sibi vindicat illud Qui caelum et terras aeterna lege gubernat.

II

Comiter alloqueris cedentem *parte priore*; *Illa*, quae sequitur, *parte* natare iubes. Hanc illi coniunge. Quid inde videbis oriri? Herbam cornipedes, qua saturantur equi.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Par-nas-sus*; 2) *A-roma*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreon., Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. Iosephus FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



AD SEPULCRUM [5]

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

- PETR. Malis incusas verbis et consiliis...
Totam per vitam, quoad terris vixero,
Meum delebo lacrimis flagitium.
Flagitium... dico, verius sed fateor
Poenam, quod innixus meis modo vi-
[ribus,
Mori me dixeram paratum, potius
Eum quam negare, quod Ipse dixerat.
Deus, nec dubito, certam veniam dabit!
SAT. Quid, stulte, blateras? Meum fac con-
[silium.
Cras, omnes dicent, te signando digo:
« En ille fortis, integer discipulus,
Suum negavit qui magistrum noscere,
Adesse primum novit cum periculum! »
Vah! longe a nobis, vilipendium ge-
[neris
Humani, Hebraeis ipsis et opprobrium!
Te fac, en restim, sicut Iudas, pensi-
[lem.
PETR. Novum nequaquam crimen addam
[criminis.
Prius negavi coram paucis territus,
Fatebor brevi coram centum libere,
Eius fuisse divi me discipulum.
Erit si crimen hoc aperte dicere,
Emoriar laetus barbaris tortoribus.
Magis quid exigis?
SAT. Fuisse falsiloquum,
Honorem sibi quod divinum sumpserit.
PETR. Dei esse Filium fatebor denuo!
SAT. Tibi tot magna mendax est pollicitus...
PETR. Fui quidem mendax eum cum nega-
[verim!
SAT. Semel sed occidit, nunquam revixerit!
PETR. Sed Ipse dixit: Resurgam de mortuis!
SAT. Mendacem dices, magis, mendacissi-
[mum.
PETR. Via sum, vobis, vita, dixit, et veritas.
SAT. Vana sibi sumpsit, iactavit insuper!
Sed frustra expectas, adest dies tertius...
- PETR. Meum sed pectus magnum mihi sug-
[gerit...
SAT. Oh! simplex vanis raptus illusionibus!
Vos, vos fecellit turpibus mendaciis.
PETR. Tu me fallaciis nequaquam niteris
Negem quod clarius nunc sole video.
Iesus...
SAT.¹ Dicis quid imprudens? Me detrahit
Hoc unum verbum!²
- SCENA III.
- PETRUS.
- PETR. Quid? Ipse disparuit!³
Quid est? Quid audio? Quae terrae
[motio?
Qui stupor gentium? Quo curram?
[Nescio.
Ibo illuc ubi fratres certe inveniam.⁴
- SCENA IV.
- CIVES ex diversis partibus.
- I. Quid est?
II. Fuit quid nuper? Tellus tremuit.
III. Rerum quae nobis usque surgit no-
[vitas?
IV. Enim quis sibi tantas res intelliget? -
I. Sic Ille nuper dixit passus in cruce:
Domus in vestras ingruet calamitas,
Cessabit Israël regnare civitas.
II. Super plorate, matres, vos Ierusalem!
III. Dolor! Quae rerum gravis desolatio!
IV. Novus qui splendor! Nondum surgit
[oriens,
Et multa currit per Urbem gens tre-
[pide...
II. En adsunt positi ad sepulcrum milites.
I. Quis pallor mortis suis est in frontibus?

¹ Furiens.² Disparet.³ Exauditur motus terrae.⁴ Exit.

O MAR. 40